

Ecclesiasticus, vn, 33, dicit : *Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica sacerdotes.* Hoc monitum mysterio non caret, siquidem priusquam sacerdotes venerari jubeat, prius Deum honorandum esse præcipit : Primo enim dicit : *Honora Deum ex tota anima tua;* et postea subjungit : *Et honorifica sacerdotes,* quia honor, qui ministris divino ejus ministerio consecratis debetur, relationem dicit ad obsequium, et devotionem, quam Deo debemus. Sacerdotes enim venerandi sunt, quia sunt servi Dei; quia ejus characterem et livream portant; quia Deus idipsum præcepit; denique quia locum Dei in terra obtineant. Unde Lyranus ait : « Honorifica « sacerdotes, ejus locum tenentes. » Et Dionysius Carthusianus : « Honorifica tanquam Dei vicarios et « ministros. » Basilius Imperator Leonem filium suum exhortans ad honorem et obedientiam Ecclesiæ, ejusque ministris exhibendam, ita loquitur : « Honor enim qui sacerdotibus habetur, ad Deum « refertur; et sicut propter te ministros tuos in « honore habere justum est, ita et te propter Deum, « sacerdotes ejus magnificare, et in pretio habere, « sanctum. »

Multis ante Salvatoris Nativitatem sæculis, Psalmista, Psal. civ, 13, per æternæ veritatis instinctum ait : *Nolite tangere Christos meos.* Christi Domini sunt sacerdotes et clerici et religiosi, quos prohibet Dominus tangi. Tanguntur autem, illis detrachendo et maledicendo, et debentur honorem non exhibendo. Ipsi sunt quibus dixit Dominus in Zacharia Propheta, ii, 8 : *Qui vos tangit, tangit pupillum oculi mei.* Unde uxorem Aaronis contra Moysen murmurantem, indilite lepra inficit : circa quem textum ita discurrebat Oleaster : « Cur non timuistis « loqui contra servum meum Moysen ? Timendum « valde est, servis Dei detrachere, quorum detractio- « nibus sic occurrere solet Deus. Tacet Moyses, « et Dominus causam ejus agit. »

Mala vita Ecclesiasticorum nihil obstat, vel officit bonis, quæ ab illorum ministerio proveniunt, ideoque tuto illis uti possumus. Quam veritatem ipse Salvator, *Matth.*, xxxiii, 2, his verbis declarat : *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisei : omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundum vero opera eorum nolite facere.* Mala ergo vita Ecclesiasticorum nos a virtute minime avocare debet, siquidem aures verbis, et non oculos factis applicare debemus. Elias propheta annonam cœlitus quotidie missam accepit et comedere non detractavit : unde veniret avis, non examinavit Elias sed necessarium excepit restaurationem.

S. Isidorus Pelusiota, in Epistola ad Zozimum scribit : « Nullo detrimento is qui suscipit (sacra- « menta) afficitur, etiamsi is qui tribuit, indignus « esse videatur; neque incontaminata mysterio « conspurcantur, etiamsi sacerdos omnes mortales « improbitate superet. Quod si mihi diffidis, cor-

« vum cogita, impurum inquam illud, atque in « pullos suos crudele animal, cujus opera ille in « cœlum excurrans, ac cœli civis Elias albebat. »

d. — Mittendo leprosum ad sacerdotem, Christus docet catholicam doctrinam, quod licet mundaverit te a pessima peccatorum tuorum lepra, per contritionem, per quam justificatur homo, tamen semper in ordine ad potestatem, quam dedit sacerdotibus, ad quorum pedes ire debes, ut tibi dicant : « Ego te absolvo; » ideoque concessit penitentiam sacramentum ad summum nostrum bonum.

Naaman Syrus lepra infectus, jussu regio, in Samariam secessit, suam inibi sanitatem recuperaturus. Hic constanti suorum assuetus servitio, atque obsequio, dum Elisæam Prophetam, quem sibi eligerat medicum, non haberet obvium, iuxta præceptum duntaxat intimari audiret de septies in Jordanis flumine instituenda lotionem, indignabundus, reditum meditari cepit, *IV Reg.*, v, 11. *Iratus Naaman recedebat dicens : Putabam quod egredieretur ad me, et stans invocaret nomen Domini sui, et tangeret manu sua locum lepræ, et curaret me. Nunquid non meliores sunt Abana et Parphar, fluvii Damasci, omnibus aquis Israel, ut laver in eis et munder? Cum ergo vertisset se, et abiret indignans, accesserunt ad eum servi illius dicentes : Pater, est rem grandem divisisti tibi Propheta, certe facere debueras; quanto magis, quia nunc dixit tibi, lavare et mundaberis.* Hocce Naamano a servis datum consilium, nos merito ad digne ponderandum incitare debet prærogativam et facilitatem, beneficio cuiusdam peccati lepra liberamur. Si ad salutem obtinendam, nudis pedibus ad S. Jacobum in Gallæciam peregrinationem nobis instituenda esset, si Jerosolymitanum invenissem sepulchrum, si nos ipsos opus foret ad centum imo ad mille annos, in cremis vivos sepeliri, mehercule, singula quam exactissime consummenda essent, ne Dei, ne Paradisi, ne animæ paterebantur jacturam, vel saltem ut inferni declinaremur horrorem. Sed ecce favorem, inestimabilem obspicite gratiam. Omnis locus sacerdos habet, ad peccatorum veniam concedendam deputatus, qui paucis non verbis a peccati elumet lepra : *Quantum magis quia nunc dixit tibi : Lavare et mundaberis!*

e. — *Et offer munus tuum.* Jubet Dominus munus offerre; quia cum leprosus mundatus esset, mandabatur ei munus offerre, in gratiarum actionem. Quod munus licet esset juxta ritum veteris Testamenti, in eoque varia haberentur munerarum genera, ad unicum tamen nunc Deus restrinxit, pro ingentibus beneficiis suis nihil a nobis aliud petens, quam solum cor nostrum. Supremus ille divinusque artifex qui formavit hominem, seque corde illius adeo cupidum semper esse ostendit dicens : *Fili mi, præbe cor tuum mihi;* hic, inquam tali cum symetria indidit, ut partiri sine dividi nullo modo possit, ac perinde habuit Oseas causam

dicendi : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Deus noster totum amorem et totum cor nostrum desiderat et nihil aliud : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* « Solus sufficit animus, » inquit Gilbertus Abbas, « si tamen totus impenditur; satis est, sed si de te nihil tibi relinquatur. » Pius Idiota cor et affectum suum in Deum Creatorem et Redemptorem suum convertens, ita eum alloquitur : « Totum exigit qui totum hominem « fecisti. Diligi debes, Domine, ex toto corde, ratione « et creationis et recreationis, quia etiam hominem « fecisti debet seipsam amori tuo, et quia eum « redemisti, debet se amori tuo, et tanto magis « debet amori tuo quam sibi ipsi. »

f. — Jubet Dominus munus offerre in gratiarum actionem; Deus enim gratiarum tributum pro beneficiis suis in lege natura, scripta et Evangelica semper postulavit.

Post lapsum primorum parentum nostrorum, qui in penam ingratitude accidit, Hova ab errore suo respiciens, subito post editum primum partum suum, gratam se Deo exhibuit, partumque eidem Deo in acceptis retulit : *Concepit et peperit Cain, dicens : Possedi hominem per Deum.* « Vide, » inquit D. Chrysostomus, *Hom. xvii in Genes.*, « quomodo « pena inflicta mulierem emendaverit, meliorem « que reddiderit; nam puerum natum, non natura « sed Deo acceptum refert, suamque gratitudinem « declarat. Non natura, inquit, puellum mihi dedit, « sed divina gratia. » Abel, Noe, Patriarchæ omnes ac Prophete gratias Deo retulerunt pro beneficiis acceptis, nulloque Sanctorum latuit gratiarum actionem laudumque tributum, acceptissimum esse Deo sacrificium.

g. — Per leprosum optime peccatores significantur, uti docet Divus Augustinus, *Serm. xxii ad fratres.* Christus Dominus ergo manum suam extendens, tangit eum ad contritionem et penitentiam, et ad sacerdotem mittit ut per ipsum absolvat ac Deo reconcilietur; et tunc in Ecclesia Deo Patri gratissimum munus offerret, scilicet dilectissimi Filii sui Jesu Christi corpus in omnium peccatorum remissionem, ac gratiæ omniumque donorum augmentum. Quo docemur, communioni præmittendam conscientie purificationem, secundum verbum Apostoli, *I Cor.*, xi, 28 : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.* « Ita « est iste spiritualis cibus, » inquit S. Chrysostomus, *de prodit. Jud.*, « ut si aliquem repererit malignitate « pollutum, magis eum perdat, non sua natura, sed « accipientis vitio. »

Jesus Christus ipse dicit : *Ego sum panis vivus qui de celo descendi.* Ast sicut nullus omnino cibus, quantumcumque substantiæ et saporis contineat, ullum in corpore mortuo operatur; ita nec panis ille suos in nobis producit fructus si mortui, id est, in disgratia et inimicitia Dei fuerimus.

Pura itaque et immaculata conscientia exigitur in communicante : « Quæ autem sit pura conscientia, » inquit S. Bernardinus, « quæ requiritur ad hujus « sacramenti susceptionem, declarat Hugo de S. « Victore, dicens : Pura conscientia est quæ non « habet de præterito justam accusationem, de præ- « senti injustam delectationem, de futuro injustam « voluntatem. »

VERSUS 5.

Cum autem introisset Capharnam, accessit ad eum Centurio, rogans eum et dicens.

Accessit ad eum Centurio, etc.

1. — Haymo Halberstadiensis, in *Catena S. Thomæ*, ethymologiam hujus vocis *Capharnam* exponit, dicens : « Capharnam enim quæ villa pin- « guedinis interpretatur, sive ager consolationis, « Ecclesiam, quæ ex gentibus est collecta, significat, « quæ spirituali pinguedine est repleta : *Sicut adipe « et pinguedine repletur anima mea.* » Hic igitur Christus majorem, quam in Hebraismo videm invenit et prout mox dicitur, protestatur, dicens : *Non inveni tantam fidem in Israel.*

Accessit ad eum Centurio, etc.

2. — S. Lucas, vii, 3, scribit : *Misit ad eum seniores Judæorum.* S. Augustinus, *l. de Virg. III*, humilitatem hujus Centurionis laudans, dubium illud hoc modo resolvit : « Qua fidelissima humilitate « magis ipse accessit, quam illi, quos misit. » Et alibi de hoc eodem accessu ita scribit : « Accedit ad « Jesum non carne, sed corde, non corporis præ- « sentia, sed fidei potentia. » Sic Propheta Regius nos, ut ad Deum non corporaliter sed spiritu accedamus, *Psal. xxxiii, 6*, invitat, dicens : *Accedite ad eum et illuminamini.* Porro lumen et notitia, quam hic homo, qui antea idololatra fuerat, a Deo accepit, sine omni prorsus exemplo existit, siquidem ipsamet æterna Veritas de ipso testatur : *Non inveni tantam fidem in Israel.*

3. — Albertus Magnus, in *Matth.*, ait : « Com- « mendat de humilitate et de affectu compas- « sionis et de fidelitate ad servum. » Per humilitatem, ut Chrysostomus observat, hunc servum interius proximum suum et in gradu fidei respectu sui positum esse agnovit : « Et recognovit apud « Deum non esse distantiam inter Dominum et « servum. » Quoad compassionem vero eousque progressus fuerat, quo S. Paulus postea pergit, *II Cor.*, ii, 29, dicebat : *Quis infirmatur et ego non infirmor?* Servi quoque fidelitatem permagni æstimavit, ac proinde S. Lucas de illo ait : *Erat illi præfiosus.* Porro Ecclesiastici, xxxiii, 31, monitum est : *Si est tibi servus fidelis, sit tibi tanquam anima tua, quasi fratrem sic eum tracta.* Dicere quoque possumus multas alias in eo fuisse christianas heroi-

casque virtutes, quibus veluti spiritualibus gressibus ad Salvatorem accessit, prout in hujus Evangelii discursu latius videbitur.

4. — Chrysostomus, *Hom. xxvii in Matth.*, et alii Expositores existimant, quod dum hic Centurio ipsemet in propria persona sese ad Christum recipere vellet, seniores populi Judaeorum, ob aedificatam ipsius ab eo synagogam et ut quantopere personam ejus aestimarent, ei ostenderent, se ad Christum pro obtinenda servi illius salute, abituros, eumque in ejus domum deducturos esse, sponte propria obtulerint. Unde S. Thomas S. Augustini auctoritatem adducens ita scribit: « Quod dicitur quod venit, totum refertur ad intentionem quia ille facit rem, ejus auctoritate fit. » Et Hugo Cardinalis ait: « Qui pro amicis accedit, satis dicitur accessisse; alii dicunt, quod in propria persona interfuit, sed verum commisit senioribus, quod fuit humilitatis. »

5. — Glossa S. Lucam minutatim retulisse dicit, quidquid occurrit: Matthaeum vero, qui brevitali studebat, tantum dixisse: *Accessit*, id est, ivit, ob vivam fidem, quam se habere probavit, adductique Hemorrhoeae exemplum: « Ut mulier, » inquit, « quia credidit, magis dicitur tetigisse Christum, quam turba, quae comprimebant; ita Centurio quo magis credidit, eo magis accessit. »

6. — Theophylactus dicit posse existimari, quod Centurio a principio seniores ad Christum miserit, utpote qui, ut se in ejus gratiam tanto amplius insinuarent, ad hoc se sponte obtulerant. « Deinde periculo crescente, verisimile est per se accessisse. » Vel etiam credere possumus, Centurionem seniores sponte propria misisse, postea vero mutato consilio, consultius fore judicasse, ut Christum personaliter accederet. Unde Chrysostomus: « Calamitate oppressi homines, modo hoc, modo illud consilium anteponunt. » Vel etiam Christum tam in prospectu constitutum esse, ut in ejus domum descendat, praesentibus obviam ipsi processit, ut profundissima cum humilitate et benevolentia eum reciperet; ad verificandum vero id, quod S. Lucas scribit: nimirum quod alios, seniores videlicet, ad eum miserit, dici potest, id factum nihilominus esse, qui se indignum esse reputabat, qui ad hanc ab eo postulandam gratiam in conspectum sese sisteret. Et quidem hi solum jussi fuerant, ut pro liberatione servi supplicarent: verisimile tamen est, quod hi, qui missi fuerant, ad hoc, ut Centurionem benefactorem suum magis honorarent, seque pro beneficiis receptis gratos exhiberent, a Domino, ut in propria persona in domum Centurionis venire dignaretur, rogarint.

Centurio rogans, etc.

7. — Paulus de Palatio quatuor Centurionum mentionem facit, de quibus Spiritus Sanctus in Novo

Testamento scribit, quorum primus hic est; secundus ille, qui in Calvariae monte Christum Filium Dei confessus fuit; tertius Cornelius, a S. Petro baptizatus et catechismo imbutus; quartus denique is, qui tanta cum benignitate erga S. Paulum se gessit: « Hi omnes pii fuerunt, ut notaretur, si laicus, homo gentilis, militiae adscriptus et aliorum praefectus ita humilis est et pius, quanto potius reliqui omnes, qui pietatem professi sunt? »

8. — Jansenius, *ibid.*, cultum et religionem admiratur, quam hic Centurio erga Deum exhibuit, non obstante, quod antea secta gentilis, professione vero miles fuisset, et quidem hanc pietatem et religionis cultum non praesertit tunc pridem, postquam servus ejus ab infirmitate liberatus fuit, sed diu ante, hujus namque pietatis seniores Hebraei coram Christo testimonium perhibent dicentes: *Dignus est ut hoc illi praestes, diligit enim gentem nostram et synagogam ipse edificavit nobis.*

9. — Non desunt qui dicant, ipsum, utpote qui urbis Capharnaum gubernationem loco Caesaris administrabat, a principio erubuisse et rubore deterritum fuisse, qui minus in persona propria Christum accederet, utpote qui secundum exteriorem apparentiam et mundi aestimationem erat *aprobrium hominum*. Unde Principes synagoga dixerunt: *Nunquid eo Principibus aliquis credidit in eum?* verumtamen postquam mors faecem suam in ejus domo super servum, qui erat illi pretiosus, girare et vibrare coepit, omni fastu et humano respectu deposito, tanta cum submissione ad Christum ipsemet personaliter accessit: *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt, Ps. xv, 4.*

10. — Enimvero considerabiles valde sunt haec duae personae, qui in theatro Evangelico hodie comparent, quarum unus leprosus, alter vero miles erat, ambo magno a Salvatore beneficio cumulati; primus Hebraeus, alter idololatra et gentilis erat. S. Thomas, *in Matth.*, dicit: « Per quod datur intelligi, quod non solum pro Judaeis, sed et gentilibus Christus venit, » quamvis cum hoc discrimine, quod primo loco pro Hebraeis venerit; et sic leprosus ad adorandum Christum genua sua flexit, ita quoque Centurio profundissimum erga ipsum humilitatem exhibuit: « Ille sibi sanitatem quaerebat, » inquit Jansenius, « hic servo, ille coram existentem credidit se posse sanare, hic etiam absentis verbo hoc tribuit; ille ex animi submissione in faciem procidens insigni profecto modestia oravit: *si vis, potes me mundare*, et autem submissus egit, indignum se dicens, qui vel ipse Dominum appellaret, aut ad se venire sustineret. » Porro leprosus credentes ex Hebraismo praefigurat, qui pauci quidem numero, sanctitate vero insignes fuerunt. Centurio vero qui gentilibus typus erat, quoad fidem palmam alteri praetulit, siquidem hic sibi dici audivit: *Non inveni*

tantam fidem in Israel. Notandum quoque est, quod Christus in propria persona sanavit leprosum, quia Judaei ipsemet personaliter praedicavit; at vero Centurionis servum sanavit absentem, quia gentiles ad veram fidei notitiam post Christi ascensionem per Apostolos fuere producti.

11. — S. Thomas, *in Matth.*, circa hos duos, leprosum scilicet et Centurionem, aliam insituit moralem observationem, nimirum quod leprosum per se et directe pelierit gratiam, Centurio vero, ut S. Lucas scribit, seniores Judaeorum ad Christum misit: « Et hoc quia Deus aliquorum miseretur per propriam devotionem, quorumdam per aliorum intercessionem. »

VERSUS 6.

Domine, puer meus jacet in domo paralyticus et male torquetur.

1. — Digna utique est admiratione eximia illa charitas et compassio, quam Centurio erga hunc servum suum exeruit: « Jacet in domo, » inquit Hugo Cardinalis, « contra illos, qui statim famulos aegros eiciunt et ad hospitale mittunt. » Eandem quoque observationem S. Antonius Paduanus fecerat, adjungendo, quod: « Non faciunt differentiam inter ipsos et canes, nam statim de domo abiciunt eos; » neque credibile est, ipsum ob proprium suum interesse id fecisse, eo quod obsequio servi sui orbatus erat, quia tanquam Centurio super centum milites alios, dominium et auctoritatem habebat. Unde Toletus, in cap. vii *Luc.*, ait: « Plurimi illum faciebant, non quidem ex avaritia, sed ex dilectione et charitate. » Unde hanc deducit consequentiam, quod quisquis a vera charitate movetur, « aliorum saluti non minus quam propriae invigilat. »

2. — Hugo Cardin., *ibid.*, ad hujus boni domini afflictionem sese reflectens scribit: « Ecce compassio, quasi dicat, morbus est meus: *Quis infirmatur et ego non infirmor?* » Enimvero tametsi gentilis miles et paganus fuerit, ad charitatem tamen usque S. Pauli Apostoli pertigisse videtur: « Ob id mirandum maxime, » inquit Didacus Stella in cap. vii *Luc.*, « quia nondum audiverat Paulum, qui cum admonisset servos, quales debent esse erga ministerium dominorum suorum, jubet profertim, ut ipsis domini paria rependant, ad *Ephes.*, vi: *Et vos domini eadem facite illis.* » Auctor Imperfecti, *Hom. xxii*: « Inter servum et dominum nullam differentiam aestimabat, » ita de bono hoc domino, tantopere erga servum suum benigno et compatiante scribit: « Sciens quoniam etsi dignitas in hoc saeculo diversa est inter eos, una est tamen natura illis, ideo magis Dei imaginem honorabat in homine, quam opus captivitatis contemnebat in servo. » Porro credibile est,

Centurionem hunc servum in bello a se captum sibi in servitum addivisse; ac proinde quia varius est eventus belli, fieri potest, eundem dominum hunc in modum secum ratiocinatum fuisse: *Sinistra illa fortuna, in quam servus meus nuper incidit, mihi quoque alia die facile potest evenire, ut scilicet ab hoste meo in captivitatem adducar, quapropter omnem servo meo benevolentiam et charitatem exhibere statui, justo namque Dei judicio et dispositione fiet, ut quam compassionem ego in presentiarum servis meis exhibeo, eadem quoque pro tali tempore et occasione exhibeatur et mihi: In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, Matth., vii, 2.*

3. — S. Lucas, vii, 2, de hoc servo expresse dicit: *illi erat pretiosus*; et merito, tanti namque valoris hunc servum apud Centurionem aestimatum fuisse dici poterit, quantum est pretium, quo sibi comparavit regnum caelorum. Unde Basilii Seleucus, *Orat. xix*, dicit: « Servi sanationem requirens Dominum reperit, dumque ipse servi sanationem venatur, fit ipse Domino praeda. » S. Antonius Paduanus, *Ser. cit.*, verbum *Meus* considerat et ait: « Ideo dicit *meus*, id est, dilectus mihi. » Hic etenim servus occasionem illi dederat, verum agnoscenti Deum, operibus se misericordiae impendendi, adeo heroicis excitandi fidei, humilitatis, modestiae, compassionis, spei, charitatis, multarumque aliarum virtutum christianarum actus; et tametsi infirmus, et consequenter servitio domini sui obduendo inutilis esset, eo vel maxime quia infirmitas ejus habitualis, id est, paralysis erat, « nihilominus, » inquit S. Bonaventura, *in Luc.*, « non erat domino onerosus, sed charus, propter domini sui pietatem; » unde servum hunc honestissimis moribus, optimisque qualitatibus imbutum fuisse clare deducitur. Et ideo Auctor Imperfecti, *Hom. xxv*, ait: « Secundum dilectionem domini, mensurate fidem servi, nec enim possibile erat, ut sine pretio honorum morum, tantam sibi dilectionem domini compassasset. »

4. — At enim quantumcumque Centurioni servus hic charus fuerit, atque in ejus salute procuranda maxime sollicitus fuerit, nihilominus ut idem Auctor scribit: « Vide sapientiam Centurionis, quia non dixit vel hic constitutus: sana eum; » sciebat enim quia potens est ad faciendum, « sapiens ad intelligendum, misericors ad exaudiri diendum, ideo infirmitatem tantummodo exposuit, remedium autem sanitatis in potestate misericordiae ejus dimisit. » Albertus Magnus, *in Matth.*; verba Centurionis virtuti discretionis ejus attribuit: « Tantae discretionis, quod exaudire si expediat, vel non exaudire si non expediat, relinquit judicio Domini. » Dionysius Carthusianus, *ibid.*, eadem verba humilitati adscribit: « Non intulit: Die ut curetur, verius ne tanto munere esset indignus. » Verumtamen tametsi ne verbum

quidem tulit, quod exprimere possit desiderium, quod servum suum sanatum esse cupiebat, nihilominus ut Lucas Brugensis, *ibid.*, observat: « Satis intelligitur implorare opem, qui se potentiori « miseriam suam exponit. »

Jacet in domo paralyticis et male torquetur.

5. — Chrysostomus, *Hom. xxvii, in Matth.*, ait: « Excusando se quare non adduxerit; » siquidem ex quo servus ille moribundus erat, in vehementi illo via motu, mori facile et expirare potuisset. S. Antonius Paduanus, *Serm. v, Cinc.*, dicit: « Jacet et « non potest venire ad te ad salutem petendam. » At vero Hugo Cardinalis e contra vivacorem in hoc milite fidem emicuisse dicit, quam in illis, qui similem quemdam paralyticum per tectum coram Salvatore miseriserunt: « Major fuit fides hujus quam illorum; » credidit enim, quod absens potuit curare. » S. Antonius Paduanus ex loco, in quo servus ille infirmus jacebat, hanc elicit moralitatem: « Hujus « pueri infirmitas est in Capharnaum, id est, in « consolationibus hujus mundi infirmatur. Male « torquetur; » siquidem salus spiritualis magis in prosperitate periclitatur, quam inter adversitates et tribulationes. Unde S. Augustinus, *Ep. cxlvii*, ait: « Mundus iste periculosior est blandus, quam mo- « lestus et magis cavendus, cum illicet diligi, quam « cum admonet cogique contemni. »

6. — Didacus Stella aliud quid ponderat, circa servitium, quod a Centurione in statu desperatae salutis servi sui, tantopere aestimabatur: « Solet « Dominus homines pios et sibi obsequentes gravi « dolore afficere, » moxque illius rationem reddit: « Ut nihil præter ipsum diligamus et ille solus cor « nostrum et animam possideat. »

Additio.

a. — *Domine puer meus jacet in domo paralyticis, et male torquetur.* Prudenter agit Centurio, talem exhibendo misericordiam erga servum suum; nam opera misericordiae per reciproam misericordiam compensabuntur.

S. Hilarius sententiae Domini: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur*, quae legitur, *Matth.*, v, 7, sensum exponens, inquit: « In « tantum Deus benevolentiae nostrae in omnes de- « lectatur affectu, ut suam misericordiam sit solis « misericordibus praestiturus. » Cajetanus ut ostendat de qua misericordia verba haec Christi intelligenda sint, dicit: « Misericordiam consequuntur, « non hanc vel illam, non quoad hoc vel illud; sed « absolute omnimodam. Consequenter quoad om- « nia, quae sunt animae et corporis, exteriorum et « interiorum, ita ut nihil indigentiae, nullus defec- « tus in illis remaneat. » Syriaca legit: *Beati misericordes, quia super ipsos erunt misericordiae*. Didacus Stella, *in cap. vi, Luc.*, dicit: « Altam excellentiam

« nobis comparamus, ut omnes misericordes, ad « misericordiam divinam jus habeant, qui cum « proximis suis usi sunt misericordia; eam nam « quae sententiam Dominus tulit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur.* » Idem quoque auctor, in alio loco dicit: « Aspicere « quemadmodum Deus in manus tuas misericor- « diam posuit, ut si velis misericordia tua tecum « uti, memineris etiam te cum proximo tuo idem « debere facere; et tunc mihi crede, Deus suam « misericordiam, benignitatem, mansuetudinem « non denegabit tibi. » S. Bernardus in sermone xv, *de modo bene vivendi*, ait: « Ille offert sacrificium, « qui facit misericordiam. Misericordia autem Do- « mini a compatiendo alienae miseriae vocabulum « sortita est. Qui in alterum misericos non fuerit, « misericordiam Dei invenire non poterit. Bene- « facies animae tuae, si misericos fueris. Qui alteri « miseretur, misericordiam a Domino conseque- « tur. » S. Augustinus, *in Psal. cii*, exponens verba illa Psalmista: *Faciens misericordias Dominus*, interrogat: « Sed quibus? *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur.* » Non potest aliquis futuram in se misericordiam Dei, si est ipse immisericos.

E contrario, comminata a Deo per S. Jacobi Apostoli calamus, examinanda est poena, qua illis, qui ab operibus misericordiae alieni sunt, his verbis intentatur: *Judicium sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam*. Salmeron super *cap. Matth. xxv*, scribens, illamque decem Virginum parabolam examinans, inter alia, sic scribit: « Virgines fatuae « propter defectum olei a nuptiis exclusae; servus « talentum abscondens, neque negotians ut de- « bat, in tenebras detruditur exteriores. In hac vero « parabola, qui operibus misericordiae Christo in « proximis impendendis non vacarunt, tanquam « maledicti in ignem eternum conjiciuntur. Unde « videmus horrendum supplicium imminere omni- « bus, qui propterea se tutos et securos existimant, « quod a peccatis, quae proximum offendere pos- « sunt, absteineant, nihil cogitantes, an in proximis « sint benefici, et charitatis opera exerceant de « quibus putant nullam esse reddendam rationem « apud Deum; cum tamen, et si quis ab omni alio « scelere et flagitio purus, et integer sit, hoc ipso « magnus sit peccator, quod beneficia in proxi- « mum non contulerit, illamque necessitate aliqua « spirituali aut temporali, aut corporali, laboran- « tem, pro facultate adjuvare nolerit. Atque ita « declarat oleum Virginum, quod dixit in alia pa- « rabola, nihil aliud esse quam opera misericor- « diae. » Porro virgines illae fatuae, non minus quam prudentes, praestantissimo dono virginitalis decoratae erant, simul quoque cum aliis sodalibus sponso obviam processerunt. Suas quoque lampades adornarunt, quia accipientes lampades suas exie-

runt obviam sponso. Et tamen quia oleum ipsis defecit, audire debuerunt tremendum verbum istud: *Nescio vos; clausa est janua*. Quia deficiente oleo misericordiae, tametsi omnibus aliis operibus bonis abundarint, ad nuptias caelestes aditum frustra sperabant.

VERSUS 7.

Et ait illi Jesus: Ego veniam et curabo eum.

1. — Hinc clare videtur, quanta sollicitudine Christus agatur, ut nobis benefacere possit. In Isaia, xxx, 19, scribitur: *Ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi*. Lucas Brugensis verba Salvatoris hunc in modum exponit: « Paratus sum « venire et curare eum; » et paulo post: « Promp- « tus est Jesus ad benefacendum. » Imo ut idem Auctor observat: « Plus facere vult, quam petentis « oratio et mens optare videatur. » Cum verissimum sit, quod in collecta quadam sancta Mater Ecclesia protestatur: « Abundantia pietatis tuae et merita « supplicium excedis et vota. »

2. — Hugo Cardinalis de hoc benignissimo responso, quod se Filius Dei ad accedendum in propria persona ad infirmum, liberaliter obtulit, ita scribit: « In hoc autem tanta confusio medicorum, quia « tantus medicus descendit ad pauperem servum, « non quaerens de pecunie quantitate. » Porro ventilata est ab omnibus expositioribus sacris questio haec, cur Christus ad domum Reguli, filium ejus sanandi causa abire noluisset et tamen tanta cum facilitate non rogatus, nec coactus, ad servum hunc in propria persona visitandum sese obtulerit? S. Ambrosius, *lib. V, in e. vii Luc.*, dicit: « Ibi noluit « pergere, ne in Reguli filio videretur magis diviti- « bus detulisse; hic ipse perrexit, ne videretur in « Centurionis famulo despexisse conditionem servi- « lem: Omnes enim, servus et liber in Christo « unum sumus. » Auctor Operis imperfecti, huc se opinioni subscribens, subjungit: « Si enim divitem « honoras, propter personam ipsius honoras; si « autem pauperem honoras, propter personam « Christi honoras. » Salmeron hoc loco notat, Christum in hac actione instructionem dare voluisse, primo iudicium, ut scilicet justitiam aequaliter pau- peribus ac divitibus ministrarent. Secundo confessariis, ut eadem cum affabilitate et benevolentia agant cum pauperibus, qua cum divitibus agere solent, paritas enim illis habenda est, quoad omnem personarum statum et conditionem. Porro tota vita Christi, ejusque doctrina, miracula, discipuli et Apostoli et quicquid ad ipsum spectabat, humilitatis characterem sibi impressum habebat. S. Bonaventura quoque, *in Luc., cap. vii*, scribit: « Hoc « facit ad excludendam personarum acceptionem, « secundum quod dicitur: Pusillum et magnum « ipse fecit et aequaliter cura est illi de omni- « bus. »

3. — Auctor Imperfecti, *Hom. xxii, in Centurione* considerat, quod fuerit primitiae gentilitatis, quae ad Christum convertenda erat: « Primus fructus « ex gentibus, ad cujus fidei comparisonem, « omnium Judaeorum fides infidelitas est inventa; » id quod tamen intelligendum est de primo fructu post praedicationem, non vero de primo fructu post Messiae adventum.

4. — S. Thomas, *in Matth.*, dicit, Christum ad personaliter servum hunc visitandum se obtulisse: « Quia praesentia Christi est causa salutis. » Ad sanandam animae alicujus infirmitatem lethiferam, nullum est securus remedium, quam se in continua Dei praesentia ubique exercere. At vero opponit Albertus Magnus: « Non legitur venisse personali- « ter. » Respondetque: « Dicendum, quod perso- « nalliter venit, quando secundum praesentiam suam « Deitatis per beneficium curationis se praesentem « exhibuit. » Verum quia causa est, quod cum se venturum promiserit, ad infirmum tamen nunquam pervenerit, Lucas Brugensis dicit: « Quamquam « non tam quod id facturus esset, venturum se « dixerit, quam ut Centurionis arcanis fidem eam « eliceret, quae mox exiit. »

VERSUS 8.

Et respondens Centurio ait: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, etc.

1. — Chrysostomus, *Hom. xxvii, in Matth.*, super- biam et fastum illorum, qui imperant, considerat, dum ait: « Tanta certe eorum superbia est, qui « principatus praefecturasque gerunt, ut nec cala- « mitatibus victi ad humilia condescendant. » Porro Christus, secundum exteriorum apparentiam pauper et nudus erat, et tamen Centurio hic « Princeps existens et gentilis, » ut Albertus Magnus observat, « habitationem suam non vocat domum, « sed tectum, quod solum est defensans ab incom- « modis aeris. » Imo idem Albertus credit, vere pauperulum quoddam fuisse turgurium, ac proinde hisce verbis illud laudat: « Ecce quam parca sus- « tentatio ex usu rei familiaris; » verumtamen credibilis est, Centurionem domum suam ita ex humilitatis instinctu laudasse, domum suam in conspectu Dei illius hoc modo appellando, cujus immensitatis capiendae amplissime quoque colorum sphaera nimis sunt angustae. Quam sententiam etiam S. Antonius Paduanus tenuit, dum ait: « Nota « in verbis Centurionis profundam humilitatem et « modestam urbanitatem: *Non sum dignus, ut « intres sub tectum meum; non palatia, non castra, « sed tectum*, ad declinandum vanitatis jactantiae

« fastum. » Salmeron, *tom. VI, tract. xxii*, ita ipsum locutum fuisse dicit: « Non quod domus ejus non « esset splendide ornata; » nimis enim probabile est, ipsum conformiter dignitati et gubernationi, quam obtinebat, domum habuisse; at vero uti idem Auctor subjungit, Christus oculos suos non ad capacitatem domus, vel ad ornatum illius directos habebat, utpote qui humilitatem et pauperitatem quam maxime diligebat. Unde in eadem Capharnaum, intra angustias domus socrus S. Petri hospitatus erat: « Cum Centurio dives esset et nobilis, non « videtur ades tenuis et exiles tenuisse, » qui idem efficacem satis ad id concludendum adducit rationem, quia non dixit Centurio, domus mea non est digna ut te recipiat, sed ego non sum dignus.

2. — In Habacue, *i, 13*, dicitur: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum et respicere ad iniquitatem non poteris.* El ideo verisimile est, Centurionem hunc timuisse, ut Christus a militibus suis offenderetur, qui utpote militaris vite homines utique dissoluti erant, teste Poeta, qui canit:

Nullo ades pietasque viri, qui castra sequuntur.

3. — Maxime cum optime scire debuisset, quod Christus erat pax nostra, ac proinde Origenes, *Hom. in dicitur*, putat Centurionem dixisse: « Miles « gladio accinctus, sanguinem fundens, ad praelium « extens et ob hoc non sum dignus, etc. » Lyranus in ea fuit opinio, quod Centurio, licet Christo obviam processerit et pro servi sui sanitate impetranda eundem rogavit, idola tamen domi suae nihilominus retinuerit; cui tamen Salmeron se opponit, dicens: « Quia indignum hoc viro, qui « tantam fidem de Christo conceperat et quem « Christus primitus gentium credentium consti- « tuebat. » Unde posita veritate illius, quod Lyranus assererat, morale quoddam documentum abhinc deducere possumus, nimirum, quod primo omnia inordinatorum affectuum idola ab hospilio animae nostrae eicienda sint, ac tum domum a nobis recipiendus sit Christus. Unde, *Genes., xxxv, 2*, dicitur prius: *Abjicite Deos alienos, etc.*, et paulo post invitatur: *Ascendamus in Bethel, ut faciamus tibi altare Domino.* Rabanus similem fere conceptum tangit, cum ait: « Propter conscientiam vite gentilis, gra- « vari se magis dignatione putavit, quam juvari, » id quod cum trissimo illo S. Pauli axioma optime concordat: *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.*

4. — Origenes ait: « Quando corpus et sangui- « nem Domini manducas et bibis, tunc Dominus « sub tectum tuum ingreditur. » Et quidem tametsi nullam haberemus versus hunc Centurionem obligationem, hæc tamen præcipua est, ut Salmeron notat, quia, « Nos his verbis de digne suscipiendo « Christo instruit, sive potius per eum Spiritus « Sanctus. » Veruntamen Cardinalis Toletus duo

dubia hic movet. Primum est, quomodo dictum istud nobis accommodetur, cum Centurio eo tempore, quo verba illa dicebat, Christum in domum suam non receperit, prouti nos illum in sacramento presentem, in anima corporisque nostri hospitium recipimus. Secundum est, cur nos, dum indignos nos ad illum recipiendum potestamus, illum nihilominus recipiamus, tametsi Apostolus, *i Cor., ii, 12*, dicat: *Qui manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Et quidem ad primum dubium respondet quod Ecclesia in sacrosanctæ Eucharistiæ administratione, duos præcipue actus exercere intendat; nimirum unum, qui est fidei actus, venerando in eadem sub speciebus sacramentalibus eundem Deum et hominem, quem miles iste eisdem verbis visibiliter venerat et confessus fuit; alium vero actum humilitatis, dum nos tanto hospite recipiendo indignos protestamur et agnoscimus: « Gratia ipsis « est, quod velit ad nos accedere. » Quoad alteram vero difficultatem vel dubium distinguit et dicit:

« Duplex adeo dignitas, una rei et hæc nemo potest « digne suscipere Christum; alia est preparatioms « et hæc potest homo digne eum suscipere, si ea « faciat, quæ fieri ipsemet, qui suscipi voluit, man- « davit; quod si quis ea non exhibet, indigne sum- « cipit. » Salmeron insuper, qua ratione domum mandare debeamus, his verbis notat et monet: « Ingrediendo in domum quædam corporaliter « minime Deus offenditur, quoadmodum in corde « immundo spiritualiter habitare. » S. Ambrosius, *Serm. lxxx*, ait: « Magne et perfectæ fidei vir, qui « intelligeret, Christum celorum esse Dominum, « dum verebatur ne hospiti sui eum angusta non « acciperent. » Insuper etiam hæc fides in Centu- « rione emicuit, dum firmiter Christum utpote Deum, in omni loco presentem esse, suumque servum etiam absentem unico duntaxat voluntatis actu sanare posse credidit: « Contradicente Centurione, » inquit S. Ambrosius, « non pergit ad domum Do- « mini, sed pergit Domini medicina. »

5. — Idem Card. Toletus quoque boni hujus militis profundam ponderat humilitatem, dum ait: « Non servi indignitatem opposuit, dicendo: Servus « meus non est dignus, sed propriam. » Purpura Centurio ille populo Hebræorum beneficia contulerat, adeo ut synagogam quoque eidem edificaverit, ubi in lege et cultu divino Judæi erudiebantur. *Diligit gentem nostram et synagogam inquit ædificavit nobis.* « Id consideratum, » inquit Janenius, « magis admirandam facit ipsis humilitatem, et « qui post tam magna beneficia populo Judaico « collata, adhuc putavit se indignum esse aspectu « Domini. » Imo tunc Christo dixit: *Non sum dignus*, quando omnes seniores populi, ipsimet primæ et æternæ Veritati concorditer dixerunt: *Dignus est, ut hoc illi præstes.* « Misit ad eum senio-

« res, » inquit S. Bonaventura, « quasi ipsi non esset « dignus accedere, nec auderet. Me ipsum non sum « dignum arbitratus, ut venirem ad te, » ait ipse- « met Salmeron duos in eo notans actus humilitatis: « Nec se ad Christum venire, nec Christum ad se « descendere dignum ducit, nec recipere venien- « tem, nec quæverit illum, ut veniat. » Et quamvis certum sit, ipsum digniorem fuisse, qui Christum accederet, quam seniores Hebræismi ab ipso ad Christum missi fuerint, « Vera tamen modestia « proprios, non alienos defectus respicit. »

6. — In hac humilitate et subductione sui a Christo instruimur, quod verum cum Deo negociandi, gratiasque celestes ab eo obtinendi modus, non in presumptione, sed in propria diffidentia consistat, dum scilicet quis se, ut cum Deo agat, indignum esse censet; meliusque sit affectibus cum Deo loqui, quam verbis, magisque expedit ab eo retrocedere, quam presumptuose se in ejus faciem sistere; hoc est enim optimum, Deo propinquius approximandi medium, prouti magno suo beneficio expertus est Publicanus, *qui a longe stans, nec audebat oculos ad celum levare; et tamen idem, « celum ad se potuit « inclinare. »* S. Lucas dicit, quod, dum Christus non procul a domo ejus aberat, aliquis ei obviam miserit, qui ei dicerent: *Non sum dignus, ut sub tectum meum intres.* S. Bonaventura, in *Luc.*, super illum locum: *Cum jam non longe esset a domo, ita scribit: « Prope enim erat domus corporali, sed « prior domui mentali; juxta illud Psalmi: Prope « est Dominus omnibus invocantibus eum. Diversum « dicitur de malis: Prope es tu ori eorum, longe a « rebus eorum; non talis erat iste, cujus signum « erat præcipua humilitas. »* S. Augustinus, *Serm. vi, de verb. Dom.*, a Glossa citatus, dicit, quod eo ipso, quo se indignum aestimavit, a Salvatore nostro dignus fuerit declaratus: « Non in cujus parietes, « sed in cujus cor Christus intraret; neque hoc « diceret cum tanta fide et humanitate, nisi jam « illum, quem timebat intrare domum suam, corde « gestaret; nam non erat magna felicitas, si Domi- « nus Jesus intraret in ejus parietes et non esset in « pectore ejus. » Ipse quidem minime convenire existimabat, quod Deus ille, de quo scribitur: *Cardo lucis æternæ*, habitationem ejus ingrederetur; at vero, ut S. Ambrosius, *Serm. lxxx*, ait: « Dum « ades suas injurias putat magis eas honorificas « facit et gratas. »

7. — Quisnam obscuro apud divinum hunc hospitem, tanquam excellentiora merita habens, gratior et acceptior fuit, an Zachæus, qui *exceptit illum gaudens in domum suam*, an vero Centurio noster, qui dixit: *Non sum dignus*, etc. S. Thomas quidem, *Part. III, q. 80, art. 10 ad 3*, questionem hanc hunc in modum decidit: « Ambo Salvatorem honorifi- « cantes, quamvis non uno modo; » veruntamen asserere possumus, Centurionem majus sibi Dei

lumen et notitiam comparasse, quam Zachæus acquisierit, quia quanto amplius quis se in hæc Dei notitia exercet, tanto se familiari Dei consortio indigniorem esse reputat. Unde in Pæfatione Missæ habemus, quod Angeli, qui minus lumen habent, magisque a suprema illa Triade sunt remoti, *laudant Deum: quem laudant Angeli; domi- « nationes vero, qui viciniores existunt, adorant; de- « nique Potestates, quæ illuminatissime sunt, tremunt.*

8. — S. Petrus, *Luc., v, 2*, celesti Magistro suo dixit: *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum*, ubi Chrysologus, *Serm. xv*, ait: « Sic eum Petrus exire « a se rogat, quomodo Centurio eum ad se suppli- « cat non venire; agil uterque, ne indignitas hos- « pitii in hospitibus maneat injuriam. » Et ideo sicut Petro mundi conversionem et inter discipulos primum hunc diem prædixit: *Ecce hoc jam eris homines capiens*, sic Dionysius Carthusianus advertit, ita quoque ad Centurionis humilitatem exallandam, dixit: *Non invenit tantam fidem in Israel; dico enim vobis, etc.*

Sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus.

9. — Glossa Interlinearis ad hæc verba dicit: « Magna fides, quæ Dei dicere credit esse facere. » Nequaquam controverti posse videtur, quin Centurio iste hoc loquendi modo, Christum illum esse Deum agnovit, de quo scribitur: *Portat omnia verba virtutis suæ; quia postulat verbum, »* inquit Chrysologus, « non de loquendi usu, sed de virtute « faciendi; » quale autem hoc verbum sit, quod postulat, mox declarat, dum ait, illud esse verbum divine omnipotentis proprium. « Verbum, de quo « dictum est: *Misit verbum suum et sanavit eos.* » Porro Toletus prædicta verba ita interpretatur: « *Jube, impera, quod solius Dei est.* » S. Antonius Paduanus cavendum nobis esse monet, ne credamus ipsum in ea fuisse opinione, ac si ad servum suum sanandum, verbo omnino opus esset: « Sed « propterea dixit, *solum dic verbo*, ut aliis faceret « notum, suum puerum Christi virtute sanatum. »

ADDITIO.

a. — *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, etc.* Magnam hujus hominis prentiam, et perspicacitatem admirator D. Paschasius, lib. *v, in Matth.*: « Fateor ait, ab « inenite ætate quoscumque legere potui Philo- « sophos, sicut nec Christus tantam fidem in Israel, « ita nec ego tantam in eis sapientiam invenire « potui. Et quod illi ex omni fabrica mundi « nequierunt intelligere, hoc iste in uno parvo « corpusculo totum comprehendit; » nempe sui infirmi pueri. Unde altissima fidei cognitione, Christi divinitatem ac majestatem super universa fatetur. Princeps erat gentilis: hoc divinum et singularissimum lumen fidei quis communicavit?

Infirmis pueri. Tribulatio enim lumen subministrat, et in Dei cognitionem nos venire facit.

Fel quod est amarissimum, tribulationum quas mundus fugit et abhorret esse symbolum, nullus erit qui id negabit. Et hoc fel, attestante Archangelo Raphaela, Tob., vi, 8, remedium fuit curandi cæcitate ac pristinum visus restituendi lumen. Fel valet et unguendos oculos in quibus fuerit albugo, ad sanabuntur. Maxima ac deploranda est cæcitas eorum, qui vero privati sunt lumine, ac notitia Dei, de quo scriptum est: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Tametsi hæc lux, non oculis corporeis videatur, animæ tamen oculo, qui est intellectus, bene conspicitur. Quis vero ignorat fel tribulationum nobis communicare hanc lucem? *Vocatio intellectum dabit,* ait Isaias, xxvii, 14. Quis Deo plus restitit, quis contumaciore ipso Manasse? In tenebris ambulabat omnis generis malitiæ, idque cum scandalo terre et cæli. At lumen recepit veræ notitiæ in sua captivitate, et servitute: *Et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus,* II Paral., xxxiii, 13. Rex Antiochus implacabilis populi electi inimicus, cultusque veri Dei hostis infensissimus, constitutus in angustiis mortis confessus est: *Nunc vero remiscor malorum, quæ feci in Jerusalem, unde et abstuli omnia spolia aurea et argentea, quæ erant in ea, et misi auferre habitantes Judæam sine causa. Cognovi ergo, quia propterea invenerunt me mala ista,* I Mac., vi, 12. Nabuchodonosor ad tantam pervenerat arrogantiam, ut præter seipsum nullum alium existimaret esse Deum. Quando cognovit se esse hominem aliis similem? Tunc nimirum, quando induit formam bestiarum: *Ex hominibus atque est, et formam ut bos comedit, et roræ cæli corpus ejus infectum est, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum, et ungues ejus quasi avium,* Dan., iv, 30. An non videatur, hoc fel extitisse amarum tanto Monarchæ, qui aliquando armorum suorum potentia, totum terruit ac tremere fecit mundum? *Fel valet ad unguendos oculos.* Audiamus ipsammet regem: *Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor, oculos meos ad cælum levavi, et sensus meus redditus est mihi; et Altissimo benedixi, et viventem in sempiternum laudavi, et glorificavi.* Notat Theodorus hic: « Non sine causa « adjecti, ego, sed ut omnes homines doceret, quasi « dicat: Ille ego qui tanta olim arrogantia dixeram: Quis est Deus, qui eruet vos de manibus « meis? Qui somniaveram fore ut in cælum ascenderem et super astra ponerem thronum meum, « experientia doctus, meo supplicio sapere didici, « meam servitutem agnovi. Idcirco etiam in cælos « oculos meos sustuli; quod simul ac feci, mens « mea ad me restituta est. » Cum experientia didicerit, quid homo, quid Deus, Altissimum et viventem appellat, et Regem sempiternum vocat, propterea quæ tenuitatem agnoscit.

De protoparente nostro cecinit Psalmista, Ps. xlviii, 21: *Cum in honore esset non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Non constat protoparentes nostros, in illa amantate terrestris Paradisi ubi omnia abundabant, aliquem excitasse actum amoris, gratitudinis, et adorationis erga Deum Creatorem suum; unde non sine causa dixit Psalmista: *Non intellexit.* Quando ergo aperuerunt oculos et cognoverunt Deum? In nuditate, in exilio constituti: *Aperi sunt oculi amborum.* Etenim ut bene advertit Gregorius Magnus: « Oculos quos culpa claudit, pena aperit. » Symmachus, loco horum: *Aperi sunt oculi eorum,* hæc verba legit: *Facti sunt intelligentes;* acquisiverunt verum lumen in experientia miseriarum suarum, ad quas se condemnatos viderunt. « Non exteriores « oculi sed interiores quos contra Deum cluserant « aperti sunt; quia videlicet veracem Deum, serpenstem vero in sua miseria fallacissimum cognoverunt, » scribit Rupertus Abbas.

VERBUS 9.

Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: vade, et vadit, et alii: veni, et venit, et servo meo: fac hoc et facit.

Nam et ego homo sum, etc.

1. — Ex hoc loquendi modo clare deducitur, quod ad commodum servitium suum non deferretur multi alii servi, quorum opera ut potuissent et tamen de unius solius servorum suorum salute adeo se sollicitum et zelosum esse probavit. Unde Hugo Cardinalis salutare deducit documentum pro Ecclesiasticis, quibus multarum animarum commissa est salus, inter quas tamen vix una sana esse conspicitur: « Ita solliciti sint, ut iste Centurio, qui centum « milites habens sub se, et propter unum servum « ægrum tam sollicitus, tam devote rogabat Deum, « ut sanaret eum; sic debent et ipsi facere, rogare « aliquos ut venirent et verbo predicationis sanarent egros suos; hoc facerent, si essent eis pretiosi. » Paulus de Palatio ad prestam Centurionis, a servis suis exactam obedientiam, sese reflectens, ita scribit: « Agnoscant Principes nostri documentum pulcherrimum; si volunt subditorum obedientiam, habeant ipsos pretiosos; ideo enim « arbitrator, Centurio habebat milites obsequentes, « quia pretiosos eos habebat; » bene illos tractabat in victu et vestitu, aliisque in necessitatibus et ideo erga eum reverentes, fideles et obediens erant. Eandem quoque observationem Didacus Stella habet, dum ait: « Unde obsecro tanta obedientia « orta erat? quia benigne et quadam benevolentia « eum illis agebat. »

2. — Considerabile verbum est, quod Centurio edixit, dum ait: « *Nam et ego homo sum sub potes-*

tate constitutus, habens sub me milites. Non jactabat potentiam quam nec solam protulit, nec priorem, » inquit S. Bernardus, Ep. xxv: « Dicturus « quippe: *habens sub me milites,* præmisit: *homo sum sub potestate;* prius se agnovit hominem, « quam potentem; agnovit inquam se hominem « homo gentilis, et ut in se jam impleri ostenderet « quod longe ante dixerat David: *Sciant gentes, « quoniam homines sunt. Homo,* inquit, *sum; et homo sum potestate.* Jam quidquid subinferat, suspectam « non habemus jactantiam, præmissa siquidem est « humilitas, ne altitudo præcipitet. »

3. — Quærit Toletus, in Luc., cur Centurio tot exempla simul multiplicarit, dicendo: *Dico huic: vade, et vadit, et alii: veni, etc.* Et respondet, id ipsum fecisse, « ut significaret Christi providentiam, « ac prudentem dispensationem, qui variis utitur « causis ad effectus diversos, nec uni omnia, sed « singulis pro ipsorum ratione singula imponit. » Præterea hoc loquendi modo clarius nobis amplam potestatem et voluntatis Christi libertatem exprimere voluit: « Siquæ confitebatur Christi divinitatem « gubernationem et amplissimam potestatem et « liberrimam voluntatem. » Salmeron ad sensum litteralem alludens, ait: « Ex his tribus, qui obelias « dientiam illi præstabant in absentia, colligit, « Christum posse in absentia sanare. » Lucas Brugensis eum a minori ad majus argumentatum fuisse dicit, quasi diceret: Si ego, qui homo sum subdicitur alteri, id est, Tribuni, et Cæsaris imperio et directioni subjectus, nihilominus per imperium et gubernationem, quam in milites aliquos obtineo: « Multa solo verbo, solo jussu facere valeo, illis « nimirum mandatis meis obtemperantibus, quanto « tu magis, etc. » S. Anselmus hæc paraphrasi verba illa explicat: « Ego sum purus homo, tu « Deus; ego sub potestate domini, tu Deus omnium; habens sub me milites, tu Angelos; dico « huic: vade, et vadit; tu huic infirmitati dic: « vade et ibit; et alii veni, et venit; et tu dic sanitati: veni, et veniet; et servo meo: fac hoc, et « facit; et tu dic Angelo: sana eum, et sanabit. » Theophylactus, in Math., morbos, milites et bellatores Dei esse dicit: « Corporales enim morbi militum et ultores Dei. » S. Augustinus, Serm. vi, de ver. Dom., in persona hujus Centurionis simile format argumentum: « Si ego homo sub potestate, jubendi habeo potestatem, quid tu non « possis, cui omnes serviunt potestates? »

ADDITIONES.

a. — *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus.* Pulchre sane locutus est beatus ille Centurio, christianæ humilitatis magister, qui de humilitate tanta fiduciam presumpsit: *Ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites.* « Non « jactabat potestatem, » ait apposite, S. Bernar-

« *quæ nec solam protulit, nec priorem, dicturus quippe, habens sub me milites, « præmisit, homo sum sub potestate.* Prius se agnovit hominem, quam potentem. Homo, inquit, « vit hominem, quam potentem. Homo, inquit, « sum, et homo sub potestate. Jam quidquam subinferat, suspectam non habemus jactantiam, præmissa siquidem est humilitas, ne altitudo præcipitet. Nec enim locum invenit arrogantia, ubi tam « clarum humilitatis insigne processerit. Agnoscis « infirmitatem, confiteris subjectionem; jam, et te, « sub te habere milites profiteri securus. » Efficax enim motum est ad reprimendam superbiam, viriliter de te sentire, et considerare, quod homo sis, terra et cinis.

Quas habet omne rationes et motiva ut sit humilis et non effugerit in superbiam et arrogantiam, esto eorum plurima sint et varia, hoc tamen, quod tetigit Ecclesiasticus, x, 9, est potentissimum: *Quid superbis, terra et cinis?* Quenam arrogans ista est prætentio? Quæ tæmeraria presumpcio, quæ ista est lulum superbire velit? Numquid supremo artificii, materia paulo nobilior deorad ad plasmandum hominem, absque eo quod manus suas luto applicasset? *Formavit Dominus Deus hominem de limo terre.* Ecur hostipi adeo digno et nobili, qualis est anima, ad imaginem et similitudinem tricum divinarum personarum creata, tam vilem et abjectam parat domum? Obstupescit et Divus Gregorius Nazianzenus: « Haud equidem scio, » inquit, « quo « pacto simul et imago Dei sim, et cum cæno « voluter? » Post discussionem tamen hujus dubii concludit, quod Deus infinita sua sapientia luto nos vestiri disposuerit, ne in superbiam extolleremur: « Hæc nostra temperatio est, ut cum imaginis « dignitas animo extulerit, pulvis eosdem deprimat, contrahatque. » Verba sunt ex libro Sapientie, v, 10, desumpta quæ sequuntur: *Cinis est cor ejus, et terra, supervacua spes illius, et luto vitior vita ejus, quoniam ignoravit, qui se fixavit, et qui inspiravit illi animam quæ operatur, et qui sufflavit ei spiritum vitalem.* In qua re constituit Deus noster et posuit vitam nostram? In uno flatu, in una respiratione, in uno anhelo, in attractione aeris. Ergone homo superbiam suam fundare vellet supra unum flatum, in quo consistit et fundata est vita?

Mors reprimat et compescit omnes superbos. Stobæus, Serm. xxii, scribit, in detestationem superbiam, asserens: « Mortalem non decet altum « sapere. Mortalia sapere oportet mortalem naturam. » Inter ea quæ Bellovacensis adducit motiva ad reprimendam superbiam, hoc quoque recensetur: « Ab hujusmodi appetitu debent nos retrahere « vilitas humane conditionis et fragilitas nostre « corruptionis. » Ceciderunt Angeli propter superbiam, et quia spiritus erant nobilissimi, majori concitabantur superbiendi stimulo. Ast homo, vermis, putredo et lulum vilissimum, quod pedibus

proteritur, quale gloriandi, seque extollendi poterit habere motivum?

Quid superbis? De quo superbitis? Num de vestris miseris, de vestris expletis desideris et appetitibus? de vestris vindictis, de voluptatibus, de deliciis mundanis quibus hactenus gavisi estis? Verum hæc omnia ad humilitatem potius vos inducere debent, quia sunt offendicula, et cause æterni vestri præcipitii. Num vos extollitis et superbitis de bonis, de donis gratiæ, de virtutibus, de operum heroicorum meritis, de actibus et exercitiis perfectionis? *Sed quid habes quod non accepisti?*

Multi sunt qui intumescunt vanaque ducuntur gloria in divitiis et pretiosis vestibus. Act., XII, S. Lucas observat in Herode: *Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali*, etc. Et in penam sua superbia percussus fuit ab Angelo, et a vermibus consumptus. Audiamus ergo verbum Apostoli, *ad Rom.*, XI, 20, dicentis: *Noli altum sapere, sed time.*

b. — Theodorus Studita hæc Centurionis verba: *Ego homo sum sub potestate*, etc., accommodat imperio quod peccatum habet in hominem. « Ad eundem modum, » ait, *Catech.*, xxvi, « ac « multo potentius, jubet sub se subjecto peccatum: Loquere fœda, et loquitur; nefaria designat, et designat. » Et ideo bene de se ait Centurio: *Et ego homo sum sub potestate constitutus*, quo suam fatetur servitutem. Quæ hæc servitus? Hæc in eo stat, quod a peccato commisso, nullus homo suis viribus se possit liberare. Quamvis enim peccati actio, illiusque comes delectatio facile habeantur, macula tamen peccati remanet infixa animæ, tanquam stigma in fronte servi, ratione cuius homo constituitur et agnoscitur a Deo ut exosus, invisus, inimicus, ac peccator. Remanet etiam reatus poenæ æternæ, nam per peccatum homo illo efficitur dignus. Remanet etiam confusus conscientia stimulus et morsus, quo peccatoris animus per singula momenta, diu noctueque premitur ac torquetur, hisque tanquam quibusdam vinculis miser homo ut captivus et astrictus servus tenetur. « O miserabilis servitus! » exclamat S. Augustinus, *tract.* XII: « Servus hominis aliquando « sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo « quiescit: servus peccati, quo fugit secum se trahit, quocumque fugerit; » totque duos patitur dominos quod peccata committit.

Quidam Salvator noster, ut peccatum nobis oxosum et abominabile redderet, amplius facere potuisset, quam quod indignam et abjectam, quæ eo contrahitur, servitutem nobis ob oculos posuerit dicendo: *Omnes qui faciunt peccatum, servus est peccati.* *Joan.*, VIII, 34. Unde S. Bonaventura ait: « Servi estis ejus cui obeditis, quæ servitus est « ignominiositate villissima, quia nihil est vilius « quam servire villitati peccati et sub iugo demoni. Ut enim ait Boetius: *Extrema servitus est*

« servire vitis. » Plato, philosophus ille, *Libro de Reppub.*, hominem quemdam vitiosum, hæc alloquitur sententia: « Quoties peccas, toties te velut « catena revinctam, nequissimo et spurcissimo « domino pro mancipio tradis. »

c. — Unanimi consensu fatentur SS. Bernardus, Chrysostomus, Petrus Chrysologus, hunc Centurionem mentem suam altius sustulisse, ac Dei supremam gubernationem ac potestatem perpendisse, quæ correspondebat potestati capitanei generalis, qui superiorem non agnoscit, qualis est imperator in suis exercitiis. « Imaginatus mihi videtur, » ait S. Chrysostomus, *Hom.* XXVII, *in Matth.*, « celestem militiam cujus Christum ducem ac Dominum esse credit, cui etiam mortem ipsam et « morbos ipsos, cæteraque omnia sibi esse subjecta « non dubitat, ut milites. » Generalis dux exercitus habet sub se infinitos milites sed bene ordinatos. Quidam enim sunt ejus consiliarii, cum quibus agit, quibuscumque communitat suos conceptus; alios habet in diversis copiis distributos; nec illi desunt apparitores, satellites et ministros ad fugitivos capiendum et persequendum, ut eos comprehendant, et in vincula discolos conjiciant; adsunt et carnifices ad vexilli desertores et infideles fidelibus torquendum, et hi omnes tam prompti sunt ad obedientiam, ut minimo verbo se accingant, et hoc exigit militia. Ita Deus dux est generalissimus, qui sub se habet plures exercitus, id est, choros Angelorum: *Nunquid non est numerus militum ejus?* *Job.*, XXV, 3. Habet et amicos, status sui consiliarios, suos Apostolos. Habet et suos apparitores, tortores, satellites, ad inquirendum fugitivos, etc. Hos bene dixeris infirmitates, terra motus, pestes, famem, ignes, et de quibus utopie carnificibus ad puniendum malos. Sic disserit Ecclesiasticus, xxxix, 33: *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, et in furore suo confirmaverunt tormenta sua... Ignis, grando, fames et mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt. Bestiarum dentes, et scorpia, et serpentes, et rhomphaea vindicant in exterminium.*

De hoc ergo commendatur noster Centurio quod agnoscat morbum ac sanitatem milites esse Dei. Discite igitur, o Christiane, ex milite, dum tempore viget necessitatis et angustia, infirmitates corporales, et calamitates, Dei esse apparitores, et questionarios, quas Deus immittit, ut manus injiciant, et de perversa vita hominem extrahant. Legitur in Ecclesiastico libro, xxxviii, 15: *Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidit in manus medicæ.* Quibus verbis manifestatur practica veritas, siquidem quotidiana nos docet experientia, majorem infirmitatum partem, peccatorum nostrorum fructum existere. Unde Tertullianus, crimina nostra sequentibus valde emphaticis describit terminis, inquiens: « Crimina tam exitiosa, tam devoratoria « salutis. » Peccatum enim velut avida quædam et

insatiabilis fera, corporealem nostram invadit sanitatem, ut illam dilaceret. Unde S. Job, iv, 7, interrogat: *Quis unquam innocens perit? Quin potius videri eos qui operantur iniquitatem et seminant dolores, et metunt eos.* Quibus verbis, cum iniquitate non solum semen calamitatum et infirmitatum, verum etiam abundantem illarum messem conjungit, quia offensa Creatoris in offensam creaturæ offendentis, communiter recedit.

S. Ambrosius, *Ep. ad Sabin.*, dicit: « Unusquisque que se evicerat luxuriosus, helleo interneat: « quantos ruperunt vina, dissolvit ebrietas, distendit crudelitas? » S. Laurentius multarum indispositionum nos continuo affligentium scaturiginem indicare volens, ait: « Ex peccati poena in humanis « corporibus vigent febres, dolores capitis, obturationes aurium, oculorum et luminis amissio, « fetor anhelitus, cruciatus ventris, stomachi repressio, humorum rebellio, libidinis ardor, lepra, « scabies, podagra, et pene innumerabilia morborum genera. Quæ profecto universa minime accidissent, si peccatum esse desiisset. »

S. Chrysostomus, *in cap. III Isa.*, de paralytico juxta piscinam languente sic scribit: « Quod peccata fuerint fons istius languoris, testatur Christus, qui dixit illi: *Ecce sanus factus es, jam noli « amplius peccare.* Paulus item: *Propter hoc inter vos multi infirmi;* quando quidem peccabant, quod participes fierent mysteriorum, non expurgata ad puram conscientiam. »

VERSUS 10.

Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.

Audiens autem Jesus miratus est.

1. — Dicit hic forsitan aliquis, quomodo hæc verba de Christo verificari possunt, in quem nulla cadere potest admiratio? « Admiratio non cadit in « Deum, » inquit hoc loco Doctor Angelicus, « quia « non fit, nisi ex ignorantia cause, quæ non potest « esse in Deo. » Toletus ait: « Miratus dicitur ut homo; » Jansenius dicit: « Quædam admiratio « non ex ea parte, quæ omnia ei erant cognita, sed « ex ea parte, quæ experimentalis notitia hactenus « ei cognita fuerat tam nova et insolita fides Centurionis; » vel etiam secundum eundem Jansenium, admiratus fuisse dicitur: « Quia in modum « admirantis vultum suum composuit; » adeo ut qui verba, faciem et omnes alios exteriores gestus intuitus fuisset, facile ipsum admiratum fuisset, credere potuisset. Unde et Lucas Brugensis ait: « Mirantis more se habuit et locutus est. »

2. — S. Thomas dicit: « Magnum, admirandum « putavit, cum turbis sequentibus ostendit et com-

« mendat eum. » Quod idem diu ante scripserat S. Augustinus, dum ait: « Quod mirabatur Dominus « noster, nobis mirandum esse significat. »

3. — Auctor Imperfecti dicit: « Quid primum « miretur in Centurione? Humilitatem, aut fidem, « aut sapientiam, aut bonitatem? » Hugo Cardinalis ait: « Miratus, quod in velamento carnis cognovisset « excellentiam majestatis. »

4. — Didacus Stella, *in Luc.*, cap. VII, moralem quandam observationem super hæc verba instituit; dicit enim, Christum non fuisse admiratum in Centurione, divitias, dignitatem, vel quamcumque aliam pompam aut factum humanum, sed solam virtutem; siquidem militis hujus fidem cum stupore et admiratione summe deprecatur.

Et sequentibus se dixit: Amen dico, etc.

5. — Chrysologus, *Serm. XXXV*, dicit: « Dat « normam credendi, qui nondum christianæ scholæ « ingressus est disciplinam. » Porro in quoniam sensu hæc verba intelligenda sint, variæ de eo ab interpretibus adducuntur expositiones. S. Hieronymus, *in Matth.*, dicit: « De presentibus loquitur, « non de omnibus retro Patriarchis et Prophetis, « nisi forte in Centurione fides gentium præponitur « Israeli. » Eandem quoque opinionem S. Thomas sustinet, dum ait: « Dicendum: *Non inveni tantam « fidem in Israel* in tempore illo; » vel ut Lucas Brugensis ait: « Ex quo hactenus prædicaui; » siquidem historiam hanc, prædicationis ejus anno secundo, accidisse constat. Cajetanus dicit: « Scilicet « cet ex tempore, quo quero fructum prædicationis « mese et miraculorum, quæ operatus sum. » Unde, ut idem Lucas Brugensis subjungit, Christus dum ait: *Non inveni tantam fidem*, etc., dicere voluit neminem inveni, « qui tantum in fide profecerit ex « prædicatione et miraculis meis. »

6. — Verum enimvero, quot insuper alii illo tempore in Hebraismo erant in fide Messie illuminatissimi? quos tamen Centurio iste longo intervallo superabat. Etenim verum quidem est quod leprosus magnam fidem demonstravit, quando Christo dixit: *Domine, si vis, potes me mundare*, « sed majorem ostendit Centurio, » inquit Cajetanus, « profertis etiam modum curandi solo verbo, « in absentia. » Insuper quoque fuit fides Baptistæ, eaque in seipsa longe major quam fuerit fides Centurionis, sed non comparative ad proportionem status sæcularis et militaris, quem hic Centurio profitebatur. « Fuit major proportionabiliter, quia « major fuit illa fides in viro gentili, militari, ex aequo ditu fama, fore in principio prædicationis Christi, « quam fuerit in Joanne Baptista ipsius maxima « fides, quia fuerat sanctificatus in utero, filius Sacerdotis, educatus in vita eremitica, conversatus « cum Spiritu Sancto. » Eadem proportio circa Apostolos considerari potest, ut Salmeron notat,

tom. VI, tract. xxii, dicens: « Nam Centurio gentilis erat et indoctus et militarem colens artem et sine ulla legis Moysis pedagogia, sine audito Christi sermone, vel visis signis credebat, absentem sanare posse. » S. Thomas quoque considerat, quod in omnibus aliis vestigium aliquod reperitur, unde fides ipsorum in Messiam minor, quam par erat, notari possit: « Petrus venit ad vocem Andreæ, Andreas ad vocem Joannis; in verbo Marthæ fuit aliquid dubietatis, quia dixit: « Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus, quasi non absens posset, etc. »

7. — Consideret igitur jam unusquisque, ad quem excellentiæ gradum fides ista ascenderit. Centurio iste Christum celestis militiæ supremum Monarcham esse, ostendere volens, hoc utitur exemplo vel similitudine: *Habens sub me milites, dico hæc, etc.*, ubi Chrysostomus, *Hom. xvii, in Matth.*, ait: « Imaginatus mihi fuisse videtur celestem militiam, cujus Christum ducem ac Dominum esse credidit, cui etiam morbos ipsos, mortem, cæteraque omnia sic esse subiecta non dubitavit, « ut nonnulli milites sibi, imo etiam multo magis. » S. Paschasius ad eandem similitudinem reflectens scribit: « Puto, quod omnia cælestia rimatus erat, « qui et divinitatem in homine deprehendit et officia celestis militiæ plenissime intellexit. » Omnes alii antecedenter lumen aliquod, vel notitiam Christi habuerunt, vel per viam prædicationis suæ, vel per miracula ejus, quæ viderant, vel per invitationes et vocationes particulares et efficaces ab ipso factas; at vero de hoc Centurione, Auctor Imperfecti, *Hom. xxii, dicit*: « Divinum thesaurum absconditum in agro terreno, non acumine occulorum, sed mentis puritate nullo demonstrante prospexit. »

8. — Enimvero tametsi Centurio iste multa Saluatoris miracula per famam audiret, attamen, ut Didacus Stella dicit, nunquam aliquem ab ipso, procul absente, solo verbo curatum fuisse perceperat: « Fidem autem Centurionis vide, quia non dixit, veni et salva eum, » inquit Auctor Imperfecti, « quia in omni loco erat præsens. » Alii, ut Abulensis notat, petebant a Christo, ut ad curandas infirmitates infirmum tangeret, vel ut infirmum adiret, aut videret; hic vero Centurio credit, quod etiam absens per unicum dumtaxat voluntatis actum, sanare possit etiam paralyti laborantem. Chrysostomus, *Hom. xxvii in Matth.*, fidem illius superiorem existimat fide illorum, qui alium quemdam etiam paralyticum per lectum ante pedes Saluatoris submiserunt: « Quia enim non dubitabat, « vel solo Domini verbo jacentem excitari posse, « ideo minime deportandum curavit. »

9. — Porro tametsi certissimum sit, quod Christus salutem, quocumque volebat, languenti alicui mittere aut restituere potuerit quantumvis etiam

procul dissito et remoto, non tamen a via destitit, sed versus domum Centurionis abundo se recepit, « ut quanta sit Centurionis fides, perdiscamus, » inquit Chrysostomus, dedita opera enim illam circumstantibus manifestatam esse voluit, ut ad perpetuam ejus memoriam et gloriam recenseret in annalibus æternitatis.

10. — Quod si queras, cur Deus illi adeo clarum fidei lumen communicavit? siquidem, *Joan., vi, 44, nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*; responderi potest, quod operibus pietatis et compassionis naturaliter deditus, in piis item operibus admodum liberalis, populoque Israeli optime affectus fuerit: *Diligit gentem nostram; synagogam edificavit nobis*, adeoque multos ibi ex presentibus pro ipso rogasse, valde est verisimile; præterquam quod sempiterna sit veritas, quod *miseri cordes misericordiam consequuntur*. S. Anselmus notat, multos quidem ad Redemptorem nostrum, intercedendi gratia, recurrisse, ita tamen, quod unus illum rogaverit pro filio infirmo, alius vero pro aliis personis sibi acceptis, « nullus pro servo, « nisi iste solus et hoc ei ad augmentum beatitudinis et ad coronam gloriæ erat, quod pro servo tam humiliter Dominum interpellat. »

11. — Didacus Stella quoque rationem reddit, cur illum in publico commendari: « Ut firmus et pressius virtuti hæreat, quia quando aliquis probitas omnibus nota est, erubescit maxime, si in aliquo crimine comprehenditur. »

Additio.

a. — *Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Quid tibi, o Israel, Ineri, ex miraculis in Ægypto editis? Ecquæ utilitas in Mosaica lege, et Prophetarum oraculis, Evangelicum clare adumbrantibus? Homo gentilis a testamento alienus, miraculorum ignarus, legum profanus, Prophetiarum expertus, Mosaicæ disciplinæ exors, Judæorum fidem vera credulitate superavit. « Unus Gentilis supra totam Judæorum multitudinem fide se extulit, » ait S. Basilius, *Oratio xii*. Unde vero id eventi? Subtiliter D. Augustinus, *Serm. lxxv de tempore*, enucleat, dicens: « In humilitate etiam Centurio planuit. Tantam, quid est? tam magnam. Unde magnam? de minimo, id est, de humilitate grandem. *Non inveni tantam fidem*, simitem grano sinapis, quanto minori, tanto ferventiori; tantam fidem, id est, tantam cum fide humilitatem. » Licet enim omnia opera extra Dei gratiam facta, ad æternam salutem consequendam inutilia sint; attamen bona facta, nullatenus intermittenda, cum gentilis hic Centurio, per humilitatem et charitatem erga servum suum, sic illuminatus sit, ut ejus fides supra modum commendata legatur.

Tametsi bona opera, in statu peccati mortalis

facta, mortua sint, et sine merito vite æternæ, non tamen ob id, a virtuosioribus desistendum est. Verum quidem est, quod per bona opera, extra Dei gratiam facta, non acquiritur meritum gloriæ; verumtamen, sæpe divina movebitur misericordia, ad conferendum ei in præmium talium operum, alia bona, v. g. dilationem supplicii, quod peccatis nostris meruimus; removebit inimicorum infernalium et mortis impetum, quæ alias tamen vite nostræ filium subito destructura esset. B. Laurentius Justinianus, *de Spirituali animæ interitu*, ita scribit: « Ex sola charitate singulorum merita causantur; suffragantur tamen, sed non ad æternæ vite meritum, cætera bona opera, sine charitate, et non bene consummata. Valent ad mitigandam penam, quæ justè ex omissione et præcepti transgressione debetur, si non fiant; præstant bona temporalia, honores videlicet, divitiæ, incommoditatem corporis, longævitatem vite, terræ nam felicitatem, propaginem filiorum, successusque prosperos. Occupant hominem, nec permittunt operantem ad deteriora labi; assuefaciunt ad bene operandum; delectant mentem, restringunt fomitem, arcunt peccati fluxum, atque ad susceptionem gratiæ gratum facientis, habilitant cor. Exigua vero universa sunt hæc in comparatione retributionis æternæ. » Gerson Cancellarius Parisiensis quoque ait: « Fac interim, scilicet dum es in peccato mortali, quidquid boni potes, ut Deus illustret cor tuum; nam bonum opus de genere et morale, etiam factum extra charitatem, utilitatem affert multam, quoniam propter tale opus disponitur homo ad opera virtutum, et ad facilius resurgendum trahitur. » Cornelius Centurio licet adoraret idola, attamen quia liberalis erat in faciendis elemosynis, aliisque operibus charitatis, Deum illum vera fide illuminavit, misitque illi Petrum qui ipsum cum omni sua familia ad veram fidem revocaret. Centurio Capharnaïta qui synagogam Judæis ædificaverat, dum etiam gentilis esset, charitativus erga servum suum infirmum existens, pariter a Salvatore illuminatus fuit, ab eoque insigne hoc laudis præconium audire meruit: *Non inveni tantam fidem in Israel.*

Versus 11.

Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno colorum.

Dico autem vobis, quod, etc.

1. — Lucas Bragensis scribit, quod increata illa et incarnata Sapientia per occasionem hujus tam admirandæ fidei quæ in gentili et pagano hoc milite ideo resplenduit, Judaismi reprobatorem prædicere voluerit. Porro per Orientem et Occiden-

tem, quæ sunt duæ principales mundi partes, totum universum intelligitur; adeoque cum Christus dicit, quod multi ab Oriente et Occidente venient, prædicere et vaticinari voluit, quod ex omni, quantumvis dissito et procul remoto loco, populi gentiles, vel saltem ingens pars eorum ventura sit ad Ecclesiæ gremium, S. Thomas, *in Matth.*, super verbum *recumbens*, ita scribit: « Iste accubitus abundantia est rerum spiritualium; cum Abraham et Isaac, quia gentiles per fidem justificantur, sicut Hebræi, ut habetur, *Rom., iv et Gen., xii, 3*. Istis « facta est repositio: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* »

2. — Enimvero in hac Centurionis laude clare conspicitur, quam verum sit, quod *glorificantes se glorificat*, siquidem præterquam quod fidem ejus tantopere prædicavit, ipsum quoque in unam quasi classem cum Abraham, primo credentium Patre, reponit: « Regni colorum participem constituit, » inquit Chrysostomus, *Hom. xxvii in Matth.*, « et generi Judæorum omnium præposuit, ita qui se se indignum recipere Christum arbitrabatur, celo dignissimus factus, incorrupta bona quæ Abraham impetravit, consecutus est a Domino. »

3. — Haymo Halberstadiensis in sensu morali dicit: « Ab Oriente quis venit, cum ab infantia Deo servire incipit; ab Occidente, dum in ipsa decreta aetate ad Deum convertitur. » S. Antonius de Padua, super eadem verba aliud quoddam documentum in medium his verbis adducit, *Serm. vi, Ciner.*: « Ab Oriente, isti sunt, qui occasum culpæ nesciunt et ab Occidente, isti sunt penitentes, qui occasum culpæ corrigunt. »

Versus 12.

Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.

1. — Cajetanus, *ibid.*, dicit: « Judæi appellantur filii regni, quia ex genere, cui promissum est regnum, nascuntur secundum carnem. » Hi sub cæcitate suæ tenebris remanent sepulti, imo ad infernales tenebras condemnati; nos autem, qui gentiles eramus, sumus in hoc Ecclesiæ regnum constituti. Curandum vero nobis est, ut statui nostro et gratiæ, quæ nos ad illum vocavit, respondeamus, quia multi ad magnam confusionem nostram in Oriente et ad Occidentem, tanto cum fervore, fidem christianam confitentur, ut etiam pro illa martyrium sustinere non dubitent; ac proinde meritum est valde, ne nobis accidat eadem exprobratio, idemque comminandum et indagandum sit supplicium, nisi opere et re ipsa respondeamus illis, quæ mente credimus.

VERSUS 13.

Et dixit Jesus Centurioni; *cade, et sicut credidisti fiat tibi; et sanatus est puer in illa hora.*

1. — De hoc Centurione nequaquam dici potest, quod per minimam adulationis motivum Christi favorem vel amicitiam sibi conciliarit. Unde Chrysostomus, *Hom. xvii in Math.*, ait : « Verum ne « adulatione aliqua usum Centurionem quisquam « putet, utque omnes ex animo locutum intelli- « gant, audi quid inferat : *Vade, et sicut credidisti, « fiat tibi.* » Saulus repentina et miraculosa servi eodem tempore facta, inquit idem Sanctus Doctor, « Domini omnipotentiam et Centurionis fidem pa- « tefecit. »

2. — Denique, scilicet tam de Domino quam de servo, asserere possumus, utrumque languentem et aegrum fuisse; ille enim in anima, hic vero in corpore infirmabatur, ut Basilus Seleucus, *Orat. xv*, his verbis scribit : « Puer membris dissolutus ja- « cens, Domino suo duccatum prebet ad Dominum; « servi sanationem Centurio requirens, Dominum

« reperit, dumque servi sanationem venatur, fit « ipse Domino preda; servus ægrotatione lethali « ægrotat, sed dominus ante servum præsanatur, « servus aeger est corpore, sed dominus anima « sanctificatur. »

3. — Argute Jansenius considerat benignissimum Salvatorem huic Centurioni nequaquam præcepisse, ut cingulum militare deponeret, postquam a Domino tanto elogio deprecatus fuerat : *Non inveni tantam fidem*, etc. Similiter S. Petrus, postquam alterum Centurionem baptismatis lavacro linxisset, non præcepit ei, ut se a Cæsaris signis, quibus nomen suum dederat, deinceps subdueret; neque Joannes Baptista militibus ipsum, de sua asscuranda salute, interrogantibus, necessum illis ad salutem esse respondit, ut a militia recederent, quia ut idem Jansenius ait : « Sicut magistratu et « legibus, ita et militibus opus est ad pacem tuen- « dam. » Præterquam quod timor Dei cuius statui et vocationi adaptari possit : *Quis est homo qui « tinet Dominum? legem statuit ei in via, quam ele- « git.*

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. VIII, VERS. 23

23. Ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus.

24. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat.

25. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes : Domine, salva nos, perimus.

26. Et dicit eis Jesus : Quid timidi estis modicæ fidei? tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.

27. Porro homines mirati sunt, dicentes : Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?

VERSUS 23.

Ascendente eo in naviculam.

1. — Dominus et Salvator noster, prout advertit Origenes, *Hom. vi in divers.*, multa hæcenus et stupenda quidem miracula patraverat in terra, nunc igitur ad mare transit, « ut ibidem et excel- « lentiora opera demonstraret, quatenus terræ ma- « risque Dominus cunctis se ostenderet. » Ascendit autem in naviculam quandam, eamque ad pauper- culum quandam piscatorem proprietarie spectan- tem, non pretiosis mercibus onustam, sed humilem et abjectam. « Non ascendit negotiatoriam aliquam « navem, » inquit Didacus Stella, *in e. viii, Luc.*, « aut sumptuosam, sed piscatorem; quo docet, se « mundi contempnibilia, paupertatem et humili- « tatem amare. »

2. — Per medicum hoc lignum sive naviculam, aliqui crucem intellexerunt. Ita S. Antonius de Pa- dua, *Serm. in hoc Domin.*, dicit : « Ista navicula est « crux Christi; hæc est navis institoris, in qua ce- « lebravit nundinas suas. » Quisquis in mari hujus vite presentis ad portum Paradisi feliciter appel- lere desiderat, ei, ut hanc naviculam conscendat, necessum erit. Unde Beda ait : « Navicula, quam « ascendunt, nulla melius, quam Dominicæ Passio- « nis arbor intelligitur. » *In lib. Sapientia, xv, 3*, dicitur : *Exiguo ligno credunt homines uniuersos suos et transeuntes mare, per ratem liberati sunt; quo idem in presenti proposito dicere possumus, scilicet quod si quis in hoc ligno crucis, mare presentis vite ænaviget, animam suam securissime sal- vabit.*

3. — Salmeron, *tom. VI, tract. xii*, diffuse per

hanc naviculam, animam nostram intelligendam esse ostendit, quam eandem interpretationem secutus Hugo Cardinalis, ita scribit : « Per navim « significatur anima; hæc navis mediocriter onerata « securus incedit, quia nimis onerata a vento tolli- « tur; onus est penitentia moderata, in hanc « navem ascendit Deus per gratiam, cum discipu- « lis, id est, sanctis cogitationibus. »

4. — Paulus de Palatio per naviculam istam vitam christianam intelligendam esse scribit, quia sicut nemo mare sine ligno trajicere potest, ita nemo in hoc sæculo vitam æternam secure sibi potest promittere, nisi vitam agat christianam; quam dum allusionem deinceps magis declarat, sicut enim navis colum versus omnino aperta est, ex ea vero parte, qua mare respicit, totaliter clausa et obfirmata esse videtur, licet, ex sola parte angustiori mari supernatet : « ita vita christiana « tota a celo respicitur, tota a celo dependet, tota « a celo influitur; ex parte vero externa mare con- « tingit; summus ab eo necessaria vita. »

5. — Hugo Cardinalis hunc navis titulum B. Mariae Virgini attribuit : « Per naviculam B. Virgo « intelligitur, quæ parva fuit per humilitatem; « hanc naviculam ascendit Jesus in Nazareth, « quando ipsa dixit : Ecce ancilla Domini; in hac « navi dormivit Jesus mensibus novem, sed ipso « excitato, id est, nato, facta est tranquillitas « magna; » siquidem in Christi nativitate pax universalis se per universam terram extendit.

6. — Magis autem proprie per hanc naviculam Ecclesia intelligitur, de qua auctor Imperfecti, *Hom. xxiii*, ita scribit : « Navigat instructa fidei gubernata- « culo felici cursu per hujus sæculi mare, habens « Deum gubernatorem, Angelos remiges, portans « choros omnium Sanctorum, erecta in medio ipsa « salutari arbore crucis, in qua Evangelicæ fidei « vela suspendens, flante Spiritu Sancto ad portum « Paradisi et securitatis quietis æternæ deducitur. » Sine navi, qui aquas ingreditur, submersiois periculo se exponit; sine Ecclesia et ejus fide ac religione nullus salvatur; navis ex ea parte, qua aquas respicit, nullam sustinet divisionem et aperturam : Ecclesia non admittit divisionem et discrepantiam etiam in unico dætaxat fidei articulo; navis ab unico tantum nauclero gubernatur, movetur a ventis, tempestatibus subjacet, etc. Ecclesia unicum tantum Pastorem et nauclerum habet, qui illam moderatur et dirigit, persecutionibus impetitur hæreticorum, paganorum, et perverse viventium, atque favorabili Spiritu Sancti aura afflante, inter omnia sibi adversantia provehitur. De eadem dici potest, quod loco arboris sive mali fidem; pro anchora spem, pro funibus et rudentibus charitatem, pro antenna crucem, pro temone prudentiam, pro velis denique sancta desideria habet. Idem quoque Hugo Cardinalis sentit, dum ait : « Mystice per navim

« Ecclesia, » sicut enim navis in principio et fine stricta et angusta est, et in medio ampla : « sic et « Ecclesia in principio arcta fuit, quia pauci credi- « derunt; et in fine similiter cum refrigerasset cha- « ritas multorum; sed in medio, id est, nunc « plures credunt. » Unde nonnulli bene observa- runt, usum esse antiquum, Ecclesiarum fabricas in navium formam erigendi.

Secuti sunt eum discipuli ejus.

7. — Salvator noster juxta se discipulos habere voluit, ob honestatem, ut Salmeron ait, et ut tur- bas in illum, ut eum tangerent, irruentes, ab eo coercerent : « Et ut essent testes oculati vite suæ; » ac proinde nunquam sine speciali causa, solus in aliquo loco consistere solebat, prout factum est, dum cum Samaritana solus loqueretur, et quando ipsum regem proclamare volentes, dedinavit et fugit; et tandem quando ipsum lapidare, de monte præcipitem agere satagebant. Didacus Stella, *in Luc.*, hoc loco observat quod prius naviculam hanc Christus ingressus fuerit, postea vero ipsam quoque secuti fuerint ejus discipuli. « Nam in « laboribus et periculis, Magister et Dominus præ- « ire debet, ut discipuli et famuli sequantur. » Ad idem quoque consideratio quadam S. Anselmi alludit, qui per hanc naviculam lignum crucis et Passionis intelligit. Ait enim : « Navicula vero, « quam ascendit, intelligitur arbor beate Passio- « nis, cujus auxilio fideles adjuti, transcendens « mundi fluctibus, ad stabilitatem patriæ celestis « perveniunt. »

8. — Per hanc Apostolorum sequelam, imitatio Christi intelligi potest, quæ Apostolis specialius impressa fuit : « Firmi et stabiles in fide, hi secuti « sunt eum, non tantum gressus ejus sequentes, « sed magis sanctitatem comitantes. » Ita S. Thomas. S. Chrysostomus autem postquam dixisset, ideo Christum discipulos suos penes se constitutos esse voluisse, ut miraculi illius, quod patraturs erat, spectatores essent, subjungit, *Hom. xxix in Math.* : « Nam ut palestræ magister optimus, ad « utrumque eos exercebat, ne aut terrore vin- « cerentur in periculis, aut honoribus efferen- « tur. »

9. — S. Bonaventura in hac Apostolorum sequela perfectionem ipsorum, nec non, quo erga Magis- trum suum ardebat, amorem expressum fuisse, dum illum non deserunt, nec unquam se ab eo divelli patiuntur : « Ut ostendatur perfectio comi- « talis, quia nunquam desererebant, » adducitque illum textum Jobi, xxiii, 11, in persona ipsorum dicentis : *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, et non declinavi ab eo.* Eodem modo S. Antonius Paduanus meditat, beatam appel- lans animam illam, quæ Salvatori idem dicere poterit, quod Ruth, 1, 16, Noemi dicebat : *Quocum-*